



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-842436-p0001-4

DFG

1796, 3
3
~~868~~ /


DISSERTATIO INAVGURALIS
DE
OBLIGATIONE SOCII INNOCENTIS
IN DELICTIS

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
DIE XII APRILIS MDCCCLXXXVI

PROPOSUIT
IOANNES HENRICVS HÜBOTTER
HILDESIENSIS.

HELMSTADII
TYPIS C. G. FLECKEISEN ACAD. TYPOGR.



REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRANCISCO EGONI

EPISCOPO HILDESIENSI ET PADERBORNENSI
S. R. I. PRINCIPI COMITI PYRMONTANO

RELIQVA

PATRI PATRIAEC PIO ET IVSTO.

LIBRARY OF THE
SCHOOL OF MEDICINE
BOSTON
ERINACEOUS EGOI
A HISTORY OF THE
SCIENTIFIC AND MEDICAL
EDUCATION OF
LATER PRACTITIONERS
TO THE YEAR 1820

REVERENDISSIME
ET CELSISSIME PRINCEPS.

Specimen hocce eruditionis academicum, quod **TIBI**
offerre audeo, quamquam parum nominis **TVI** celsi-
tudine dignum esse sentio, animum tamen offerentis
si spectaueris, clementer abs **TE** acceptum iri non
spero, sed confido. Est sane mos ille litterarum cul-
toribus frequentatus, et quasi proprius, quo vtor, vt
inscribendo nomini **Tvo** opellam hancce, animi, mu-
nificentia **TVA** in me maximopere affecti, sensa pa-

A 3

lam

Iam declarem, ac manifestem. TE enim, REVEREN-
DISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS, iam diu veneror,
Fautorem litterarum indulgentissimum, patriae meae
parentem clementissimum. Pro vita TVA, patriae
maxime cara, vt et longissima sit et fortunatissima,
vota facio cum omnibus, qui nomen TVVM colunt,
magna et sincera.

REVERENDISSIME
ac CELSISSIME PRINCEPS!
TVAE CELSITUDINI*

deuotissimus
Auctor.

ARGUMENTVM.

I. Introductio continens occasionem scribendi.

II. Explicatio materiae.

- 1) Nulla datur rerum inhonestarum societas. §. I.
 - a) Hinc rerum ex delicto quaesitarum communio peti nequit; §. II. III.
 - b) sed si collatae fint res turpes, manent in communione; §. IV.
 - c) nec delinquens eas communione eximere potest, nisi sit damnatus. §. V.
- 2) Solus delinquens luit poenam, quam delicto promeruit, §. VI.
 - a) nisi iniuria iudicis sit condemnatus; §. VII.
 - b) nisi, sciente focio, res turpis in medium collata sit, quibus casibus ex communi solui debet poena, §. VIII - XII.
 - a) fine manente societe,
 - b) fine dissoluta eadem. §. XIII.
- 3) Qui lucrum dishonestum participavit, socius puniri potest, et quidem
 - a) poena ordinaria, quotiescumque participatione lucri dishonesti delictum socii continuat; §. XIV - XVI.
 - b) ex.

VIII

- b) extraordinaria autem poena, quoties luerum dishonestum
participat ex alieno delicto, nec tamen istud continuat.
§. XVII.
- 4) Qui sciens delictum socii sui non reprobatur, socius delicti
habetur. §. XVIII.
- 5) Arbitrio iudicis est definiendum, vtrum delictum adeo gra-
ue sit, vt ob id societatem dissolui oporteat. §. XIX.

I. IN-

I. INTRODVCTIO

CONTINENS OCCASIONEM SCRIBENDI.

Qum peractis in alma Georgia Augusta studiis academicis ambitus summorum, qui in utroque iure conferuntur, honorum speciminis alicuius edendi necessitatem inferret; ego quoque de iisdem honoribus obtainendis sollicitus, eadem obligatione me sensi obstrictum. Cogitant autem de conscribendo libello, quo satisfacerem isti officio, plurima ex iure fese mihi obtulerunt, a multis viris iisque celeberrimis, magno cum doctrinae apparatu et elegantiae nitore iam pertractata, de quibus distulerent et spicilegium post messem illorum instituere, elaboratumque aliquid, atque rectius, meliusue in medium proferre, nec cursus academicus ratio pati, nec iuuenilis ingenii tenuitas permittere videbatur. Iam diu multum que de ea re sollicitus, apud animum tandem constitui, praeparatis ex iure criminali materiam sumere pertractandam: et quidem argumentum de obligatione socii innocentis in delictis contra tertium commissis paulo curatius examinare, digerere, publicique iuris facere, mihi proposui.

II. EXPLICATIO

DISSERTATIONIS MATERIAE.

§. I.

Leges poenales in republica perquam necessarias esse, fragilitas generis humani docet, cum homines ad delictum aliquod perpetrandum, quod soli perficere nequeunt, alios adeo suique similes in societatem et consortium soleant assumere, qui ipsis consilio auxiliisque assistant opemque ferant. At quam difficile sit, eiusmodi

三

leges

leges ferre, quibus delictorum forma recte describatur, et singulis poena idonea constituantur, ii facile diiudicare possunt, qui studio legum criminalium operam dederunt. Debet igitur Princeps rem ex ipsa humana natura haurire, et ad illius normam leges poenales condere, ne insontes puniantur, et ne fontes puniantur ultra modum.

Haec si ad rem nostram transferantur, vniuersim notandum est principium, ex quo omnes conclusiones, vti in aliis contractibus, sic in societate, deriuantur, *rerum in honestarum nullam esse societatem*, (a) non quasi socii sibi inuicem promittere non possint, se, quod ex in honesta causa lucrum sentiant, in commune collaturos; sed quod haec conuentio nullam imponat obligationem, neque naturalem, neque ciuilem, praestandi eius, quod promissione continetur; quin imo, si praestiterint, pro admissi qualitate puniri possint. Quo in genere legibus Romanorum aequitatem cuius facili obuiam demonstrare fore superuacuum.

Sin quaeras, quae nam sub in honestarum rerum appellatione continentur, paucis haec habeto. Referenda sunt in hanc classem: 1) quaevis facta, quae ipso iure naturali prohibentur, et insitam habent turpitudinem, veluti latrocini aut furti societas, societas ad obligationem innocentium etc. (b) deinde 2) eo nomine veniunt facta, quae, licet ipso iure naturali non prohibeantur, expressa tam lege ciuili in delictorum numerum sunt relata: ita enim societas, qua annona fiat carior, nullam vim habet, (c) itemque societates, quibus conuenit, vt species diuersorum corporum, vel negotiationis, non minoris, quam inter se statuerint, venundentur (Monopolia vocant) expressa lege Zenonis prohibentur. (d) Denique 3) sub rebus in honestis comprehendi posunt omnis generis res, quae, quamuis neque naturaliter, neque ciuiliter, sint flagitiosae, eius tamen sunt indolis, vt laedant pietatem, et contra bonos mores

a) L. 57. D. pro socio. L. 35. §. 2. D. de contr. emt. L. 1. §. 14. de tutel. et rat. distrrah. L. 70. §. vlt. D. de fidei. L. 26. D. de V. O.

b) L. 1. pr. D. ad L. Corn. de falsis. Leyser Med. ad Pand. Sp. 188. m. 3.

c) L. 2. pr. D. ad L. Iul. de annon.

d) L. vn. Cod. de Monopol.

res sint, quaeque ideo merito nos non facere posse, credendum est.

§. II.

Itaque quum omnium inhonestarum rerum inita societas improbetur, facile intelligitur, quid iuris sit, si occasione societatis iustae et licitae alter sociorum ex causa inhonesta quid lucratus fuerit, vtrum illud lucrum penes delinquentem maneat, an vero infons habeat facultatem istius lucri communicationem exigendi. Cum vero actio pro socio non detur, (e) nisi intercedat societas, qualis rerum turpium non datur, dicendum est, nullam actionem competere socio ad collationem istius lucri exigendam. Quod si vel haec ratio cessaret, communicationem tamen impedit bonae fidei iudicii natura, quae nullas praestationes, quae contra bonos mores sunt, recipit. (f)

Quod ut in genere est verissimum, ita quodammodo dubium videri posset, si omnium fortunarum societas fuerit contracta, in qua ex doctrina Pauli (g) et Caii (h) et hereditas, et legatum et quod donatum est, aut quaqua ratione acquisitum, venit. Quare prudentissimi iuris nostri conditores, vt omnem cauillationibus ansam praeciderent, expresse constituerunt, socium omnium bonorum ea, quae ex prohibitis causis acquisita sunt, conferre non cogi. (i) Extra causam enim societatis sunt, et proinde penes eum, qui ea acquisiuit, manere debent.

Alia longe ratio est eius, qui hereditatem possidet, et, dum possidet, ex rebus hereditariis turpe lucrum quaerit: ille enim a vero herede conuentus, omne omnino lucrum restituere tenetur. Ita enim Hermogenianus (k): Si possessor ex hereditate inhonestos

habue-

e) L. 31. D. pro socio.

f) L. 5. de vñr.

g) L. 3. §. 1. D. pro socio.

h) Inst. Lib. 2. tit. 9. §. 16. ap. Schulting. Iurispr. Anteiusin. p. 171. conf. Obf. 2.

i) L. 52. §. 17. D. pro socio. L. 54. eod.

k) L. 52. D. de hered. petit.

habuerit quaestus, eos etiam restituere cogitur; ne honesta interpretatio non honesto quaestu lucrum possessori faciat. Quae ratio valde obscura variis interpretum opinionibus ansam dedit. Gothofredus quidem (l) summusque Cuiacius (m) ita explicitant hanc rationem: Honestius est, inhonestos quaestus quaeſitos, cedere lucro petitoris hereditatis, quam possessoris: nam vel utriusque est auferendus quaestus, vel, si alterutri dandus est, innocentii potius, quam nocenti dandus est. Innocens autem est petitor. Verum si hoc ratiocinium valeat, quis non videt, eandem honestatis rationem in societate obtinere? honestius enim et ibi est, innocentii socio potius, quam nocenti hoc lucrum cedere. Rectius itaque Huberus (n) decisionis diuersitatem ex diuersa societatis, quae est inter contractus bonae fidei, et hereditatis petitionis ratione repetit: quippe senatusconsultum de hereditatis petitione (o) cauerat, possessorum restituere debere omne lucrum, quod ex hereditate penes ipsum erat. Non erat igitur integrum iudici leges seruare, solito haec verba restringere ad lucrum honestum, et turpe lucrum possessori relinquere, cum et illud hereditati accessisset, et proinde esset heredis. Ratio ergo Hermogeniani hoc significat: Hereditatis possessor omnes fructus restituere debet, ne nimis anxia honestatis, et aequitatis reputatio lucri inhonesti quaestum contra legis prouidentiam possessori hereditatis adiiciat. Societas vero cum sit contraetus, in quo proinde nihil venit, nisi quod ex probabili mente contrahentium confertur, et mens contrahentium esse non possit, turpia lucra communicare, sponte sequitur, res turpiter quaestas in societatis rationes conserfi non oportere.

§. III.

Sed quid dicendum de lucro honesto, ex inhonestata causa quaefito? Finge Titium et Caium, socios: Caius Mevio furtum facit centum aureorum, quod Seio sub usuris mutuos dat, num illae usurae

(l) Not. ad L. 52.

(m) Quaef. Papin. ad L. 5. D. de usuris. Opp. t. 4. p. 705.

(n) Eunom. Rom. ad L. 52. D. de hered. petit.

(o) L. 20. §. 6. D. de hered. petit.

vsurae in societatem sunt imputandae, an Caio. relinquendae? Omnis quaestio eo reddit, an illae vsurae sint turpiter acquisitae, atque ideo turpis lucri nomine censeri possint. Qua ex parte si ICtorum sententiam exploremus, dicendum arbitror, istas vsuras non esse iniustas, adeoque collationi obnoxias. Si enim ex mente Vlpiani (p) quod ex re furtiuia redigatur, furtiuum non sit, qua ratione vsuras istas turpes habebimus, nisi dicas, quod tamen minime procedit, vsuras esse accessiones pecuniae furtiuae, quae rationem principalis fortis sequuntur. Turpiter quidem ille facit, quod fuerit furatus, sed nulli iniuriam infert, quod, cum fuerit furatus, legitimo modo pecunia furtiuia vtatur.

Si quidem ergo, vt eo redeamus, vnde paululum deflexeramus, res ex delicto quaesitae acquirentis manent propriae, neque communicari debent, periculum quoque earum solus delinquens susinet, et proinde actione poenali ob malescium conuentus, solus damnum sentire debet; quemadmodum postea dicendi locus erit.

§. IV.

Verum quae hactenus disputata sunt, impedire minime possunt, quominus delinquens ipso facto lucrum ex delicto quaesitum in communes rationes inferat. Disquirendum igitur est, quem effectum ista collatio sit habitura. Neque diu hic sollicitos nos esse finit Vlpianus (q): quod ex maleficio, inquit, quaesitum est, in societatem non oportere conferri palam est, quia delictorum turpis atque foeda est communio. Plane si in medium collata sit, communie erit lucrum.

Quae res mihi quidem intellectu difficilis, et minime analogia esse videbatur. Etenim si rerum turpium non datur societas, et nulla iusta lucri communicatio ex maleficio est, non videbatur nuda et spontanea rei inhonestae collatio, a delinquentे facta, hunc habere debere effectum, vt res turpis, quae alias delinquentis maneret,

p) L. 48. §. 7. D. de furt.

q) L. 45. D. pro socio.

neret, nunc esset communis. (r) At vero tantum abest, vt hic sibi non constiterint ICti, vt contra, si alia statuissent, omnino sibi repugnasse vere dixeris.

Vt autem haec Vlpiani sententia recte intelligatur, obseruan-
dum puto, Vlpianum hic tantum querere de effectu, quem collatio rei turpis habeat, quantum ad socium insoltem, nec vero de iure, quod domino, a quo res est ablata, ad eam recuperandam competat, de quo deinceps videbimus, adeo, vt socium delinquen-
tem, qui semel contulerit, non possit eius collationis postea poe-
nitere, et sibi soli vindicare cupiat, quod semel communicauit.
Nam si istud lucrum non sit commune, id est, si conferens ius re-
tineat istud iterum repetendi, necesse est, vt statuas, audiendum
esse eum, qui propriam turpitudinem alleget, quod foret absurdum.
Atque vti res furtuae et alienae vendi quidem possunt, nec
vero per venditionem alienari (s) et vero domino auferri; sic res
furtuae a focio quidem conferri possunt, nec tamen per collatio-
nem istam alienari. Atque haec mihi simplicissima visa est ratio,
cur lucrum istud sit commune, quaeque idcirco explicationi Huber-
i (t) praefерenda videtur: Putat enim, verba legis, si in medium
collatum fit, commune erit lucrum, non esse accipienda de re
ipsa, quam delinquens contulit, sed de eo lucro, quod mediate
ex eiusmodi turpibus causis fuit redactum: nam, si res in specie
tertio oblata adhuc exstat, illa profecto non potest fieri societatis
propria. Verum vt huius opinionis levitas appareat, obseruemus,
Vlpianum hic tantum querere, an illae, qui semel aliquid contu-
lit, possit iterum illud repeterre sub praetextu, quia ex delicto fue-
rit quaeſitum. Largimur enim Hubero, illa collatione effici non
posse, vt res ista fiat societatis propria, sed rem domini manere,
a quo fuit ablata, et qui vindicandae illius, vbiunque illam inue-
nerit, ius habet potestatemque.

Aliter

(r) Huber Eunom. Rom. p. 633.

(s) Tot. tit. C. de reb. alien. non alien. Tot. tit. C. de proh. rer. alien.

(t) Huber l. all.

Aliter atque Huberus rem explicat Ant. Faber. (u) Ille quidem haec Vlpiani verba intelligit de lucro ipsius rei turpis; sed illud honeste retineri posse ait, quia a parte retinentis nulla sit turpitudo, dum turpiter non facit, modo ne communicatio petatur. Rechte quidem, vt videtur, si socius insons lucri turpitudinem ignorauerit, non vero si scierit eam; pessime enim tunc facit, quod ex delicto alieno dishonestum lucrum sciens participat, vt postea dicemus.

Commode igitur hanc legem ita intelligimus, quasi dixerit Vlpianus: Omni iure repugnat rerum dishonestarum societas, et rerum ex delicto quaesitarum collatio; nec tamen poterit quis, si communicauerit, sive ignorantie sive scientie delictum altero socio, eo praetextu, vti ad repetendum istud, quod contulerit, sed manet commune, eiusque repetendi verus dominus solus habet facultatem. Neque tamen illud ex his, quae diximus, colligi oportet, quasi in arbitrio delinquentis positum sit, rem eiusmodi communicare velit, nec ne, et insons semper tenetur eam suscipere, quan- docunque cum altero communicate eam placuerit. Tenetur omnino socius, si nullum periculum sibi metuere velit, ne per participationem turpis istius lucri sceleris reddatur consors, rem istam reprobare, nec pati, vt in communes societatis rationes inferatur. Sed si socius turpitudinis causam ignoret, et res collata a vero domino repetatur, habebit ista communicatio hunc effectum, vt socius socio euictionis nomine ad interesse teneatur.

§. V.

Si igitur semel collatum sit lucrum dishonestum, manet istud commune, nec potest delinquens istud sibi vindicare, uno casu excepto, quo innocens omnino tenetur ad restituendum id, quod fuerit communicatum, scilicet si alter fuerit damnatus. Quod enim ex maleficio contulerit socius, inquit Pomponius, (v) non aliter recipere debet, quam si fuerit damnatus. Nititur haec socii insontis obligatio

^{u)} Faber Ration. ad h. 1.

^{v)} L. 53. pro socio.

XVI

obligatio non iure aliquo potiori eius, qui contulit in rem collatam, sed solius domini iure, qui rem sibi ablatam a delinquente, qui eius restituendae habet facultatem, repetit. Neque enim ista collatio villam iniuriam domino inferre potest, qui istius collationis ignarus rem a solo delinquente vindicat, qui eam omnino restituere tenetur, cum sit melius, socium non lucrari, quam dominum damno affici. (x)

Verum circa hoc Pomponii effatum sequentes quaestiones morari possunt:

1. *Quando socius, cui facta est rei turpis communicatio, teneatur ad rem restituendam, cum alter fuerit damnatus aut conuentus?*

Dubiam hanc quaestione quodammodo faciunt Vlpiani verba: (y) *Si igitur ex hoc conuentus fuerit, qui maleficium admissit etc. ex quibus patere videtur, sola conuentione id habere effici, ut conferenti ius detur communicatam rem recipiendi. Sed si expendamus rationem, qua Pomponii decisio nitatur, socium sententia iudicis condemnatum esse oportet.* Haec enim ratio non tantum est in eo, quod societas sit contractus bona fidei, ex cuius ratione alter tenetur reddere istud, quod turpiter sit communicatum, (z) sed praecipue nittitur obligatione socii, rem istam vero domino restituendi. Priusquam igitur certo constat, quis sit verus dominus, id quod ante sententiam locum non habet, (a) nec ipse socius eam praecipiendi ius habet. (b) Cum itaque post rem iudicatam neque res honeste a socio retineri possit, et nullo nomine amplius communis esse, sequitur condemnatum eum esse oportere, qui exigit, ut rem ex arca communii recipiat.

2. *Quaeritur: Virum condemnandus sit ad rem istam restituendam, an sufficiat, eum esse condemnatum ad poenam soluens?*

x) L. 14. §. 1. de Religios.

y) L. 55. pro socio.

z) arg. L. 5. D. de vñr.

a) L. 1. D. de iudic.

b) L. 54. pro socio.

soluendam? Quae res difficultatem non habet, vbi quis ad rem ipsam reddendam fuerit obligatus, v. c. condicione furtiuā: sed quid dicamus, si verus dominus furem actione furti poenali in duplum, vel quadruplum conuenit, rem vero ipsam, forte quod ea tanti sibi non videatur, omittit: an delinquenti ius est rem istam ex societate recipiendi? De qua re ego quidem sentio, delinquentis nullum quidem ius esse repetendi id, quod semel intulit, nisi ipse ad istud restituendum sit obligatus: (c) verum licet ipse nullam habeat actionem, alter tamen, simulataque rescuerit, rem turpiter fuisse quaesitam, nullo honesto modo eius diuisionem petere potest, quia rerum inhonestarum non datur societas, et bonae fidei iudicium nullas turpes praefationes admittit; quin imo simulac inhoneste quaesitam esse rescuerit, ex rationibus communibus illico expungat, et sponte delinquenti restituat, ne ex delicto alieno turpe lucrum quaerat, et eius nomine teneatur ad partem poenae soluendam. Aequum enim est, vt, cuius quis participauit lucrum, participet et damnum. (d)

3. Denique quaestio oritur: *Vtrum ius delinquentis recipiendi rem, quam ex delicto contulit, tantum ad tempus, quo adhuc durat societas, restringendum sit, an in tempus, quo dissoluta iam est societas, proferendum?*

Atque, me quidem iudice, ius istud delinquentis non pertinet ad istud tempus, quo iam dissoluta fuit societas, et rerum communium diuisio internenit: secus ac Fabro (e) videtur, qui existimat, siue maneat societas siue fuerit dissoluta, socio ius superesse, rem socio auferendi, idque ob verba Pauli, (f) quae etiam ad hanc legem pertinere existimat. Verum quo iure, videant alii; si enim diuisae iam fuerint res communes, ea diuisio vicem emtionis venditionis obtinet, (g) quod significat, rerum communium

e) L. 53. eod.

d) L. 55. eod.

e) Faber l. all.

f) L. 56. pro socio.

g) L. 1. C. comm. vtr. iudic.

XVIII

nium inter socios diuisarum nomine eadem principia locum habere, quae inter emtores et venditores obtinent. Si igitur malae fidei vendor non habeat ius ab emtore consequendi rem venditam, si eius nomine fuerit condemnatus, nullum ius etiam pristinus socius habebit contra eum, cui ex diuisione res ista inhonestata cesserit. A posseflore quidem, siue b. f. fuerit, siue m. f. verus rei dominus vindicandae rei habet ius, qui posseflor ad eam restituendam omnino tenetur, ne damnum patiatur, euictionis nomine contra conseruentem agere poterit. (h)

Caeterum omnino notandum est, si forte per istam rei inhonestae communicationem et receptionem innoxiam societas ipsa aliquid detrimenti ceperit, societatis indicio conferentem omnino teneri ad resarcitionem damni, quod societas ipsius culpa sensit, plane vti emtor ad interesse agere poterit, si res aliena ipsi fuerit vendita. (i)

§. VI.

Videamus nunc de poena ob delictum soluenda: in quo obseruanda est aequitas legum criminalium Romanarum, in eo posita, quod soli delinquentes puniantur, et caeteri omni ex parte absoluantur. Licet enim omnium bonorum societas sumمام inducat aequalitatem, et alter ex socio queri non possit, si quis plus consumferit; solum tamen socium, qui deliquit, peccati sui poenam pati oportet, cum graue sit non solum legibus, verum etiam aequitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari. (k) Ita enim Vlpianus narrat: (l) apud veteres tractatum fuisse, an socius omnium honorum, si quis ob actionem iniuriarum damnatus aliquid praestiterit, ex communi consequatur, vt praestet? et Atilicinium, Sabinum, Cassium respondisse, si damnatus sit ob malificium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. Cui con-

fentaneum

h) arg. L. 14. C. famili. ercise.

i) conf. L. 28. D. de contr. emt. L. 30. D. de act. emt. et vend.

k) L. vn. C. vt nullus ex vicinan. cum qua lege non pugnat L. 5. ff. de censibus, de qua Cuiac. opp. t. 4. p. 1419.

l) L. 52. §. 18. pro socio.

sentaneum est, quod Seruum respondisse, Aufidius refert, si socii bonorum fuerint, deinde unus, cum ad iudicium non adesset, damnatus sit, non debere eum de communi id consequi; ex suo enim delicto damnum patitur, sive facti nomine poenam meruit.

Quae res per se spectata satis certa est, verum si ad societatem omnium bonorum applies, non parum difficultis est, cum non habeant socii separatum patrimonium, sed quidquid habent, sit cum socio commune; unde sequi videtur, fieri non posse, ut ex eo, quod unus poenam soluit, alter inde damnum patiatur. Quae difficultas ut euaneat, obseruandum est, vnumquemque, licet omnium bonorum sit socius, manere tamen suae partis dominum, partisque suae ideo, vel inuitio socio, habere alienationem; (m) Impp. enim Terentiano haec rescribunt: *Falso tibi persuasum est, communis praedii portionem pro indiufo, antequam communi diuidendo iudicium dictetur, tantum socio, non etiam extra-neo distrahi posse.* Quod si verum est de alienatione voluntaria, non poterit de iniuria queri socius, cum extrema necessitate coactus, partem suam in alterum transferat. Ex sua igitur portione socius poenam debitam soluere poterit auctori, qui communi diuidendo actione cum socio experiatur.

Vt itaque solus delinquens poenam ferat, omnino notandum est, innocentem dissoluta societate tantum, quantum alter praefitterit, praecipere debere: imputandum enim est socio delictum, quod admisit: quod culpa sua passus est damnum, non potest cogere socium, ut pro parte ferat, atque hac ratione socius innocens plane indemnus poterit seruari.

Quae autem de poena a solo delinquente soluenda ob actionem iniuriarum Vlpianus docet, (n) ea ad omnia omnino delicta multasque ciuiles extendi oportet, et ad bonorum publicationem, sive omnium, sive partis pertinent. Nam sicuti, cum morte naturali dissoluitur societas, bona, quae cum defuncto erant communia,

cum

m) L. 1. L. 2. C. comm. diuid. L. 3. C. de comm. rer. alien.

n) L. 52. §. 18. pro socio.

cum eius herede sunt diuidenda; sic etiam nunc, cum mortem clemi patiatur socius, et fiscus in ipsius locum succedat, (o) communi diuidendo actione cum fisco erit experiendum. Insignis tamen inter fiscum, bona damnatorum occupantem, et heredem in eo genere est differentia. Hic enim bona communia tantum pro ea parte, qua defunctus fuerit socius, vendere poterit; fiscus vero ex insigni, quo gaudet, priuilegio, res, quas cum priuatibus habet communes, in solidum vendit, etiam iniuris illis, pretiumque inde redactum cum socio condemnati diuidit. Ita enim Alexander Epicteto rescribit: (p) *Forma est, quoties ad fiscum vel minima portio rei pertinet, ut viuera a procuratoribus meis distralatur. Sed pretium partis tantum in fiscum redigatur; reliquum dominis partium restituatur.* Quae quidem res multam habet iniuritatem, quod fiscus, partis dominus, in solidum vendere possit. Verum ex solo haftae fiscalis fauore repetenda est, ut tanto facilius fiscus inueniat emtores.

Caeterum delinquens, praeter poenam soluendam, societati etiam damnum, quod illa per delictum passa est, forte quod negotiatio quaedam nunc non potuit expediri ob nummorum penuriam, restituere debet: id quod ex natura societatis satis appetet. Huc spectat exemplum a Pomponio propositum (q): *Si is, cum quo fundum communem habes, ad delictum non respondit, et ob id motu iudicis villa diruta est, aut arbusta succisa sunt, praeficiabitur tibi detrimentum iudicio communi diuidendo.* Quidquid enim culpa socii amissum est, eo iudicio continetur; cuius exemplum §. seq. adferamus.

Duplici ergo nomine tenetur delinquens: altero auctori, contra quem deliquit, altero societati, que per ipsius culpam damnum sensit, quod relarciri aequitatis rationibus maxime conuenit.

§. VII.

o) L. 65. §. 12. eod.

p) L. vn. C. de vend. rer. fiscal. cum priuat. commun. *Caiacius Consult.* 17.
opp. t. 1. p. 665. t. 2. p. 653.

q) L. 20. comm. diuid.

§. VII.

Verum enim vero, licet sit certissimum, solum illum, qui deliquerit, poenam pati debere; non causae tamen desunt, in quibus socius partem poenae, in quam alter fuerit condemnatus, refarcire tenetur; ad quas examinandas progredimur, et qui tantum abest, ut sint iniquae, ut potius ex iis summa Romanorum aequitatem omnibus apparituram esse confidam.

Huc spectat:

r. Si socius per iniuriam iudicis fuerit condemnatus; id quod Vlpianus (r) testimonio Atilicini, Sabini et Cassii confirmat, et ex Seruio addit, id ita demum locum habere, si quis in iudicio praesens iniuriam iudicis fuerit passus, non vero, si cum absens fuerit, damnatus sit.

De qua re distinctius videndum: *primum* quid significet, iniuriam iudicis pati; *deinde* cur illud damnum, quod ex iniuria iudicis quis patiatur, sit commune; *tertio* cur opus sit, ut talem iniuriam quis praesens fuerit passus.

Ad *primum* caput quod attinet, verba: *si iniuriam iudicis fuerit passus*, nihil aliud denotant, quam quod alibi (s) dicitur: iniustam iudicis sententiam pati; siue iudex dolo malo per gratiam et sorde male iudicet, siue per imperitiam litigatores iniuria afficerit, siue contra ius iudicauerit, siue quaestione facti non rite excussa, aliquem iniusta sententia grauauerit. (t) His omnibus in causis iniuriam litigantibus facit iudex. Quid enim refert, inquit Vlpianus (u) iudicibus iudicis, an stultitia res perierit?

Nec referre putamus, vtrum socius omnium bonorum fuerit iniuste condemnatus in causa ad societatem pertinente, nec ne. Vtique enim causa iniuria iudicis sibi infertur, quam a socio refari, est aequissimum.

In

r) L. 52. §. 18. pro socio.

s) L. 27. de re iudicata.

t) L. 1. §. 2. quae sent. sine appell. resind.

u) L. 51. pr. D. de euide.

XXII

In secunda quaestione id iniquissimum videtur: Quae enim est ratio, cur iniuria alteri facta alteri necessario noceat? cur iudicata inter alios res ipsi detrimentum inferat? (v) Postulare contrarium videtur analogia iuris, quae praecepit, vt, si per imprudentiam iudicis aut errorem emtor rei vietus est, negemus, auctoris damnum esse debere: iniuria enim, quae fit emtori, auctorem non debet contingere, vti simili in casu ratiocinantur Vlpianus (x) et Paulus (y). Is enim: *Exceptione, inquit, quae tibi prodesse debebat, vñus, iniuria iudicis damnatus es, nihil tibi praestabitur iure mandati, quia iniuriam, quae tibi facta est, penes te manere, quam ad alium transferri, aequius est.*

Sed postulat iuris ratio, vt eiusmodi damnum a sociis communiter feratur. Non quidem id vrgeo, quod ex Fabri sententia rem dirimere maxime videtur, socios inter se iure quodam fraternitatis contineri, sed id vnum obseruari velim, damna, quae imprudentibus obueniunt, esse communia (z) iniustamque iudicis sententiam ex earum rerum numero esse, vt sub casu fortuito, qui nulla industria hominis vel praecautissimi praecaueri possit, comprehendere mereatur, quem proinde a socio refarciri sit aequissimum, omnisque huius contractus ratio clamat: atque haec quidem simplicissima et vnica ratio esse videtur, cur damnum istud sit commune.

Itaque ad tertiam quaestionem deuenio, cur requiratur, vt talem iniuriam socios praefens fuerit passus. Ita enim Vlpianus ait: *Si vñus, cum ad iudicium non adesset, damnatus fit, non debet de communi id consequi.* Quod ipsum cautissime est intelligendum.

Nam

v) L. 63. D. de re iudic. Tot. tit. C. rer. inter alios ait, L. 2. C. quib. res iud. non noc.

x) L. 51. pr. D. de eniſt.

y) L. 67. de fidei. conf. *Faber Rat.* ad L. 52. §. 18. pro socio.

z) L. 52. §. 3. pro socio. conf. *Noeds comm.* ad h. t.

Nam si sententia contra absentem ex ista causa vim rei iudicatae non habet, (a) neque semper pro praesente pronunciandum, sed etiam interdum absens, si bonam causam habeat, vincit: (b) non intelligo, si iustum et probabilem absentiae causam allegare possit, et nihilominus condemnatus fuerit socius, cur non damnum istud a socio aequa sit resarcendum, ac si praesens iniuriam iudicis passus fuisset.

Non crude igitur accipienda est Vlpiani sententia, sed limitanda, ne cum dictis iuris nostrorum locis pugnet, et intelligenda videretur de eo, qui per contumaciam fuerit absens, cuius absentia proinde causa fuit, cur condemnetur, quique, si praesens fuisset, causa forte non cecidisset. Si enim ex sola contumacia absens fuerit, dolum committit, iudicemque, a quo citatur, contemnit, ut recte probauit Cuiacius, (c) sua ergo culpa, quod imputet, habet, si ob contumaciam fuerit victus, cuius damnum igitur solus ferat. Atque hanc interpretationem non reprobat ipsa legis verba: *si unus cum ad iudicium non adefset, damnatus fit: i. e. quia iudicio non aderat.* Saepissime enim apud optimae notae auctores particula *cum* denotat *quia*, ut ex pluribus veterum locis, si id opus esset, confirmari posset. (d)

Ea, quae de socio ob contumaciam victo huicunque diximus, illustrari possunt exemplo, quod habet Pomponius. (e) Si is, cum quo fundum communem habes, ad delictum non responderit, et ob id motu iudicis villa diruta sit, praestabitur tibi detrimentum iudicis communii diuidendo.

Caeterum praetermittendum non est, si socius iniustam sententiam iudicis praesens sit passus, et postea contra illum iudicem agens, aliquid fuerit consecutus, illud etiam lucrum in societatis rationes

a) L. 75. in fine D. de iudic.

b) L. 73. eod.

c) Obs. L. 4. c. 3.

d) *Terentius Phorm. 1. S. 4. v. 26.*

e) L. 20. ff. comm. diuid. conf. *Cuiacius Obs. L. 6. obs. 7. Huber ad L. 20. comm. diuid. Dionygius Halie. L. 8.*

XXIV

rationes inferendum ab eo esse; (f) quia aequum est, ut, cuius quis participauit damnum, participet et lucrum, et commoda spe-
ctant ad eum, ad quem spectant incommoda.

§. VIII.

Transeamus ad alterum casum, quo socius, qui est conde-
mnatus, resarcitionem eius, quod soluit, pro parte petere possit,
nimirum si scientie socio communicatum sit lucrum inhonestum. (g)
Nihil interest, vtrum socio scierit an ignorauerit, rem turpem
in societatem esse collatam. Vtique enim casu socius rem a se
collatam ex communis arca repetendi ius habet, ut vero domino
reddatur, sed eam solam auferet, ut inquit Vlpianus, (h) si mihi
proponas, insciente socio eum in rationes societatis contulisse:
quod si scientie, etiam poenam socium agnoscerre oportet. Scientie
igitur socio eiusmodi rem communicatam esse oportet: requiritur
enim mala fides eius, qui suscepit, qua se quodammodo reddidit
sceleris consortem; nam, quotiescumque socius non potest proba-
re, alterum fuisse malae fidei possessorem, toties omnis aequitatis
ratio postulat, ut dicamus, eum ad poenam soluendam non obli-
gari, cum nulla turpitudine ipsi possit imputari. Verum, hoc pro-
bato, alter nullo modo negare poterit, se approbasse delictum so-
ciis, ac participatione lucri ratum habuisse, aequum ergo esse, ut
et damnum ferat.

Cum itaque socius, qui rem dishonestam in societatem impu-
tari patitur, eo ipso ostendat, sibi placere istud delictum, per il-
lam surreptionem non tantum rei commoda, verum et periculum
fuscepsit: nam aequum est, ait Vlpianus, ut cuius quis participa-
uit lucrum, participet et damnum. Fundamentum igitur huius
obligacionis non adeo mihi videtur esse quaerendum in natura so-
cietatis, quasi socii sibi mutuo promiserint, se talia damna aequa-
liter laturos, quo euerteretur primum istud principium, ex quo
rerum

f) L. 52. §. 16, L. 55. pro socio.

g) L. 55. eod.

h) L. 55. all.

rerum in honestarum nulla societas esse dicitur, sed est positum in sola aequitate et iustitia naturali, cui conuenit, ut is, qui occasione societatis, sive honeste sive in honeste contractae, ex delicto socii lucrum senserit sciens volensque, atque ita factis suis tale delictum approbauerit, in poenam huius ratihabitionis damnum ferat, quod ex tali delicto delinquentem manet, ob id ipsum, quia lucrum sensit.

Quod principium cum sit iuri naturali et aequitati conuenientissimum, idem etiam merito receperunt Romani, et varias inde sequelas deriuarunt. Adeo indiuiduo enim vinculo cum participatione lucri participationem damni coniunxerunt ICTi, ut saepissime aliquem ob id ipsum, quia lucrum ex re quadam sentiebat, damno affici voluerint, et ex aduerso negauerint, aliquem damno afficiendum esse, qui lucrum non sentiret. (i)

§. IX.

At circa hanc sententiam socii duo haec quaeri possunt: *Pri-*
mum, Vtrum sufficiat ad poenae praestationem effugiendam, si
focius fuerit in bona fide eo tempore, quo res turpis fuit commu-
nicata, an continuata bona fides desideretur. *Deinde*, Quid di-
cendum, si societas ex re in honesta nullum lucrum perceperit.

Quod ad *prius* attinet, fingi potest haec causa: Titius et Caius sunt socii: Titius ex lucro turpi in societatem insert centum, Caio ignorante delictum: postridie delictum Titii rescisit Caius. An nunc tenetur partem poenae refarcire, si non statim illud turpe lucrum ex communibus rationibus expungat, et soli Titio relinquet? De ea re diuersis in vtramque partem rationibus potest disceptari.

Et

i) Conf. L. 6. §. 2. comm. diuid. L. 22. Ex quib. caus. mai. L. 14.
 C. de furt. L. 4. C. si vend. pign. arg. L. vn. §. 4. C. de caduc.
 toll. L. 10. D. de R. I. L. 52. §. 4. pro socio. L. 23. §. 1. eod.
 Bynkershoeck Obsf. Lib. 4. obsf. 9. Excipe causus in L. 63. §. 3 et 6.
 pro socio.

D

Et quidem, si dicamus, non posse socium cogi ad poenam istam soluendam, his nitimus principiis: quod nemo posit causam possessionis suae mutare; quod usucatio semel inchoata non interrupatur ex superueniente forsan alienae rei scientia, licet illa ex titulo lucrativo coepit sit. (k) Cumque in nostra causa obligatio praestandae poenae oriatur ex iniusta rei alienae scientia, dicendum inde videtur, malam fidem superuenientem non nocere socio. Accedit, quod semper spectandum est rei cuiusdam initium, quod ut in genere est verissimum, ita speciatim de societate affirmatur, (l) et ad hanc nostram quaestionem applicari poterit.

Ab aduersaria vero parte maxime facit aequitatis ratio, quae, ut in omnibus contractibus bona fidei, ita vel maxime in societibus, eoque magis in ipsa hac quaestione spectanda est, quia ex aequitate decidendi rationem repetit Ulpianus; scilicet malitiis non est indulgendum, adeoque aequitatis ratio, quae vult, ut socius poenae partem agnoscat, si ab initio sciens commodum ex re aliena fenerit, dicere nos iubet, etiam malam fidem superuenientem eatenus nocere, ut nemo sit ferendus, qui eo se excusare velit, quod scierit quidem, istud lucrum esse dishonestum, verum tamen initio illud ignorauerit, atque ita contendat, se nunc a parte poenae soluenda esse immunem. Atque haec quidem ratio apud me tantum valet, ut dicere non dubitem, requiri omni tempore illasam rei alienae scientiam, si quis ab omni poena immunis praestans sit.

Quod ad secundam quaestionem attinet, si res turpiter hodie collata, sciente socio cras perierit; non dubito, quin socius partem poenae ferre omnino teneatur: nam verum est, eum, dum rem in commune conferri pateretur, participem lucri dishonesti factum esse. Quare eo ipso momento iam tenebatur poenam soluere. Quo iure ergo nunc casus ille inopinatus et improuisus id efficere poterit, ut socius liberetur ab obligatione, quae semel ipsi incumbere

k) L. vn. C. de usuc. transform. L. 48. §. 1. D. de adq. rer. dom. L. 4. §. 18. D. de usurp. et usuc.

l) L. 58. §. 2. pro socio.

bere coepit. Aequum est, ut, cuius quis semel participavit lucrum, participet et damnum.

Atque uti obligatio ex in rem versione perseverat, etiam si res, antequam villam patri vel domino vtilitatem afferret, perierit, (non enim, inquit Vlpianus, (m) spectamus, an bono domini cesserit, quod consumptum est, sed an in negotium domini,) ita nec quidquam refert, vtrum res, quae semel turpiter fuerit collata, adhuc existet, nec ne.

§. X.

Hactenus igitur in genere vidiimus, socium, qui dishonestum lucrum participauit, teneri ad poenae partem soluendam. Quo autem omnis materia absoluatur, inquirendum adhuc in haec tria capita:

Primum: Quando socius ad poenam soluendam cogi possit, scilicet vtrum manente societate, an etiam dissoluta?

Deinde: Ex quibus causis id facere teneatur?

Tertio: Quomodo ad id cogi possit?

§. XI.

Quod ad *primum* attinet, sola aequitatis ratio, in qua huius praestationis fundamentum inesse supra (§. VIII.) vidimus, facit, ut, quamvis expressa lex non existet, quae hanc controuersiam dirimat, dicamus tamen, etiam dissoluta societate hanc obligationem praefandae poenae durare. Sufficit enim, ex delicto socii semel lucrum sensisse socium scientem, ut perfecte obligetur ad agnoscendum poenam, quam alter delicto suo meruerit. Iam vero tanto minus dubitare nos oportet, quod Paulus expressis verbis dixit, (n) nec quidquam interest, vtrum manente societate praestiterit ob furtum, an dissoluta ea. Dissolutio enim societatis non soluit

m) L. 3, §. 6. et 7. D. de in rem vers.

n) L. 56. D. pro socio.

XXVIII

soluti hanc obligationem praestanda poenae, quae iam incumbere coepit.

Vti enim actio, quam quis ex stipulatu habet, neque morte amittitur, (o) neque procurator, qui pro evictione praediorum, quae vendidit, fidem suam adstrinxit, et si negotia agere desierit, obligationis tamen onere praetoris auxilio leuabitur; (p) ita nec societatis dissolutio id efficere poterit, vt quis ab obligatiobibus semel suscepitis liberetur.

§. XII.

Si quaeras porro, ex quibus causis socius ius habeat a socio partem poenae solutae repetendi, haud difficilis responsio erit, cum Paulus (q) dicat: nec quidquam interest, vtrum praestiterit ob furtum, idemque est in omnibus turpibus actionibus, veluti iniuriarum, ferui corrupti et similibus et in omnibus poenis pecuniariorum, quae ex publicis iudiciis proueniunt.

Qua de re dubitari non potest in furti crimen, similibusque causis, ex quibus lucrum immediate ad alios redundare potest: sed difficile est infellectu, quomodo sit accipendum de turpibus actionibus et poenis pecuniariorum ex publicis iudiciis oriundis.

Ac primum quidem recte Faberus (r) ex Accurso notat: turpes actiones esse omnes, quae ex delicto nascuntur, et delicti exprobarationem continent, sive famosae sint, sive non sint, modo poenales. Idem autem porro notat, sententiam Pauli huc redire, eandem distinctionem, vtrum socio sciente, an ignorantre turpe lucrum in societatis rationes fuerit illatum, vsu venire, si quis turpi actione, iniuriarum puta, fuerit damnatus, vt illo casu teneatur poenae partem, quam alter soluerit, ferre, si ex tali iniuria inscientem socium lucrum aliquod turpe redundauerit. Finge hoc: Titius et Caius sunt socii; Caius Meuii famam fugillat, eoque facto

o) L. 16. §. 2. D. de evict.

p) L. 67. D. de procur.

q) L. 55. all.

r) Rat. ad h. 1.

facto fidem et existimationem, qua *integra* gaudebat Meuius, minuit; spe fore, vt ipsi inde lucrum queratur. Caius a Meuius conuentus actione iniuriarum condemnatur in 500 aureos. Iam poterit Caius a socio suo 250 repetrere, si hic, iniuriae a Caio factae gharus eamque approbans, lucrum aliquod senserit. Aequum enim est, vt cuius quis participauit lucrum, participet et damnum.

Non incongruum etiam fuerit obseruasse, species actionum turpium, quas in L. 56. recentet Paulus, omnes concurrere posse cum actione furti, et dixisse, ICtum in eo esse, vt doceat, socium, qui ex furto inhonestum lucrum participauit, si actio furti cum alia actione turpi concurrat, v. g. serui corrupti, non defungi vnicے praefanda poena furti, sed etiam teneri ad agnoscendam poenae partem, quam delinqiens actione serui corrupti soluere debet. De eo enim dubitari poterit. Exemplo res erit illustrior. Finge: Titius et Caius sunt socii; Titius seruum Meuii corruptum sciente Caio, et per eum Meuius furtum facit. Lucrem istud furtuum Titius in societatem infert, sciente et factum laudante Caio. Iam si nunc Meuius, quod iure facere potest, (s) et actione furti et serui corrupti egerit, Caius tenebitur aequae resarcire poenam in seruum corruptum statutam, atque eam, quae in furtum est posita. Neque hoc durum esse quisquam contendat: cur enim, sciens delicta socii sui, lucrum eiusmodi inhonestum suscepit, eoque ipso lucri istius acquirendi rationem approbavit? Aequum nunc est, vt cuius quis participauit lucrum, participet damnum.

Restat, vt ad hanc §phum de poenis pecuniariis, quae ex publicis iudiciis proueniunt, videamus. Idem est, ait Paulus (t), in poenis pecuniariis, quae ex publicis iudiciis proueniunt. Per poenas autem pecuniarias intelligimus:

i. Quoduis damnum pecuniarium ex iudicio publico vel eius accessione per modum poenae irrogatum (sunt enim nonnulla delicta

s) L. 11. §. 2. L. 12. D. de fern. corr.

t) L. 56. pro socio.

XXX

licta publica, quae pecuniaria poena coegerentur, puta vis pri-
uata, (u) crimen repetundarum etc.).

2. Sub generali poenarum appellatione comprehendendi posse pu-
tamus mulctas illas ciuiles, (v) quae quidem a poenis stricte sic di-
ctis in multis differunt, at aliquo tamen modo generaliori poena-
rum voce continentur, et exiguntur ab iis, quibus, vt ait Vlpia-
nus, publicum est iudicium. Si ergo socius ob delictum tale,
quod in legibus publicorum iudiciorum incidat, condemnatus sit,
poterit socium cogere, vt etiam illud damnum pro rata portione
ferat. Vti enim in caeteris, ita et hic aequum est, vt cuius quis
participauit lucrum, participet et damnum.

§. XIII.

Quod si quaeratur, (idque vltimo loco ad h. l. examinandum)
qua actione socius repeatat a socio partem poenae, quam semel sol-
uit, tum manente, tum dissoluta societate; dicendum, de nulla
alia, nisi de actione pro socio hunc cogi posse. Vt antem ea
dari possit, necesse est, vt honestae et licitae rei contracta sit so-
cetas: (x) vt enim pro socio sit actio, societatem intercessisse opor-
tet. (y) Atque hinc ratio appetat, cur adiecerit Pomponius, (z)
neque praetermittendum est, ita demum hoc esse verum, si hone-
stae et licitae rei societas coita sit: caeterum si maleficii societas
sit, constat, nullam esse societatem; generaliter enim traditur,
rerum inhonestarum nullam esse societatem. Non itaque ex eo
solo, quod alter contulerit turpe lucrum, alter receperit, haec
actio nascitur, sed quod occasione societatis honestae et licitae
aequum sit, damna etiam ferri ab eo, qui lucrum sibi habere vo-
luerit. Quae actio pro socio cum sit bonae fidei, et proinde pree-
stationes ex aequo et bono admittat, non poterit iudex non con-
demnare

u) L. 1. pr. D. ad L. Iul. de vi priu.

v) Kool ad L. Ater, Tarpei, de multis, in Thes. iur. Ottonis.

x) L. 67. pro socio.

y) L. 31. eod.

z) L. 57. eod.

demnare eum, qui, dum lucrum ex aliqua re fenserit, damnum ferre recuset. Aequum enim est, ut cuius quis participauit lucrum, participet et damnum.

Sin vero, iam dissoluta societate, rerum communium diuisio interuererit, distinguendum putamus, vtrum pro socio arbiter cautionibus in futuro lucro vel damno pendente ex ea societate, sociis prospexerit, (a) nec ne. In priori casu actio ex stipulatu socio denegari non poterit, qua suum consequatur. Sed si nulla cautione interposita, socii cuiusque portionis periculum in se non suscepserint, actio pro socio locum habebit. Ea enim est actionis pro socio, vti actionis tutelae et actionis ex testamento natura, vt sit generalis, (b) i. e. vt semel instituta et sententia terminata, noua ex causa, iterum possit repeti, non obstante rei iudicatae exceptione. (c)

Qui igitur, siue manente siue finita societate, socium sibi condemnari desiderat, eum probare oportet, 1) honestae et licitae rei contractam esse societatem, (d) 2) socium passum fuisse, lucrum aliquod in commune conferri, quod proinde factum est commune, (e) 3) neque tantum eum passum fuisse, tale lucrum inferri, sed sciuisse etiam, rem fuisse talem, vnde lucrum sentiri non oportebat; vnde concludet, damnum ex tali causa natum debere a socio refarciri, quia aequum est, ut cuius quis participauit lucrum, participet et damnum. (f)

Atque haec ex ratione iuris nostri satis probata esse arbitror. Ad alia iam progrediendum esset, nisi duo emergerent scrupuli, quos prius remouendos esse putauit. Scilicet his, quae adhuc diximus, plane obstat regula, neminem esse audiendum, qui pro-

priam

- a) L. 27 et 38. eod.
- b) L. 38. all.
- c) L. 2. C. de iud. L. 29. §. 1. D. de minor. L. 20 et 21. D. de except. rei iud.
- d) L. 57. pro socio,
- e) L. 54. eod.
- f) L. 55. eod.

XXXII

priam turpitudinem alleget, (g) neminem de improbitate sua consequi actionem. (h) Quomodo igitur socius delinquens adeoque turpitudinis reus petere potest, vt ob suum delictum dimidia poenae pars sibi resarcatur? dum turpitudo ea illum indignum faciat, qui a socio vel minimum consequatur.

Verum vt huius obiectionis vis expendatur, obseruamus: hanc regulam, neminem esse audiendum, qui propriam turpitudinem alleget, (nisi me omnia fallant,) nihil aliud significare, quam non esse audiendum eum, qui proprium factum turpe ponit, tanquam iustum petendi causam, quique eius est impudentiae, vt non vereatur coram iudice turpitudinem suam exponere, et petere, vt sibi ob eam turpitudinem ius reddatur. (i) Aliter res se habet in nostra specie: qui socium sibi condemnari desiderat, factum allegat, non suum, sed socii, qui dishonestum lucrum agnouit, et cum reprobandi facultatem haberet, non reprobauit. Atque vti ipse fur, si ex honesta causa sua interesse coepit, furti agere potest, absque eo, vt propriam turpitudinem alleget, (k) ita etiam in nostro casu socius, quia ex natura societatis sua interest, petit, vt sibi condemnetur socius: aequum enim est, vt cuius quis participauit lucrum, cuius etiam damnum ferat.

Neque etiam obstant verba Vlpiani (l): *Si ex dolo, inquit, communi conuentus praefliterit tutor, neque mandandae sunt actiones, neque vitilis competit, quia proprii debiti poenam subit, quaes res eum indignum facit, vt a caeteris quid consequatur doli participibus; nec enim illa societas maleficiorum vel communicatio iusta damni ex maleficio est.* Obseruandum enim, tutores a pupillis suis conuentos beneficio diuisionis frui, (m) et si iam ex facto contutoris aliquid praefliterint, mandandas

g) L. 25. et 30. C. de transact.

h) L. 12. §. 1. D. de furt.

i) Cf. L. 25. et 30. C. de transact.

k) Exemplum est in L. 48. §. 4. D. de furt.

l) L. 1. §. 14. D. de tut. et rat. dirr.

m) L. 1. §. 11. all.

dandas ipsis esse contra contutorem actiones, aut utilem actionem proprio nomine competere. (n) Iam docet Vlpianus, non mandandas esse actiones, si ex dolo communi aliquid praefitit tutor, quia nulla iusta communicatio damni ex maleficio sit. Quibus verbis id tantum indicare voluisse censendus est Vlpianus, tutorem ex dolo communi condemnatum, non esse audiendum, qui alleget contutorem etiam doli participem fuisse, solum eum damnum sentire debere, neque ad beneficium diuisonis vel cedendarum actionum posse prouocare.

§. XIV.

Hactenus itaque in explicando iure, quod socius, qui deliquerit, habeat contra eum, qui non deliquerit, siue hic turpitudinis fuerit gnarus siue ignarus, fuimus versati. Nec vero praeter-eunda est quaestio magni momenti, cuius quotidianus potest esse usus: quounque scilicet ille, qui inhonestum lucrum participauerit, possit ipse dici delinquisse, et ab eo, qui actione poenali agendi ius habet, conueniri; qua de re distinctius est videndum.

1. Si igitur alter socius alterum dolo malo ad delictum excitanuerit, impulerit, ope consilioque adiuuerit; certum est, in eum animaduerti ex principiis, quae de iis, qui delinquentibus operi consiliumque tulerunt, statuta inueniuntur.

2. Quod si res ipsa, furto ablata, adhuc apud socium existet, qui eam sciens a fure suscepisse arguatur, non tantum ille, qui furtum passus est, vindicandae eius rei habet facultatem, sed etiam poenali furti nec manifesti actione suscipientem conuenire poterit, ex utilissima constitutione Diocletiani et Maximiani. (o) Non autem poterit talis susceptor condicione furtiva teneri, quia non est ius, licet furti teneatur; nam condicione furtiva nemo tenetur, nisi qui ipse furtum fecerit, vel heres eius. (p)

3. Si

n) L. 1. §. 12. eod.

o) L. 14. C. de furtis.

p) L. 5. et 6. D. de cond. furt.

3. Si autem in genere quaeratur de eo, qui inhonestum iucrum participauit, dissentientes hic deprehendimus summos iuris criminalis interpretes. Nec mirum, cum haec disputatio pendeat a generaliore quaestione, quousque aliquis ratihabitione sua delicti se obstringat.

Matthaeus quidem docet, regulam iuris, (q) quae vult ratihabitionem in delicto mandato comparari, hactenus veram esse, ut pecuniarie quis conueniri possit, qui maleficium priuatum ratum habuit, non etiam acusari criminaliter. Sed dubito, an satis tuto illud ex hac lege efficias: nam (quod ex inscriptione patet (r)) agit ibi Vlpianus de interdicto Vnde vi. Docuerat nempe, (s) deiecisse eum videri, qui mandauit, vel iussit, ut aliquis deiceretur; parui enim referre visum est, suis manibus quis deiciat, an vero per alium. Nunc vero (t) quaerit: an et ille, qui deiectionem ab alio factam ratam habuerit, interdicto hoc teneatur. Sed et si, quod aliis deicicit, ratum habuero: sunt qui putant, secundum Sabinum et Cassium, qui ratihabitionem mandato comparant, me videri deiecisse interdictoque isto teneri; et hoc verum est; rectius enim dicitur ratihabitio in maleficio mandato comparari.

Manifestum igitur est, animum Vlpiano in ea lege non esse, ius generale constitutere, et docere, in omnibus delictis ratihabitionem mandato aequiparari: quo facto sibi ipse contradiceret, quippe qui docuerat, in interpretatione editi de infamibus (u) infamem eum non esse, qui nuptias contra editum factas ratas habuerit.

Generalius, quam Matthaeus statuit, Io. Sam. Fr. Boehmerus (v) illum, qui delicta ab alio commissa rata habet, extra ordinem puniri, grauius, si quaestum illicitum participauerit, leuius, si crimen non impedit, factis illicitis alterum instruat, commissum

q) L. 152. §. 2. D. de R. I.

r) Conf. d. L. cum L. 1- §. 14. de vi et vi arm.

s) d. L. 1. §. 12.

t) d. L. 1. §. 14.

u) L. 13. p. D. de his, qui not. inf.

v) Boehm. El. iur. crim. S. 2. c. 1. §. 2.

missum cœlet, laudet, approbet, praemioque penset. Idem autem vir doctus (x) generalem regulam tradit de iis, qui ex postfacto ad delictum alienum concurrunt, ut toties teneantur, quoties illud promoueant, siue ante eius executionem siue pendente illa, non aequi qui post eius consummationem occasione illius illicite quid agant. Eandem cum Boehmero sententiam fouet Carpzius. (y)

Verum mihi, qualemcumque sententiam interposituro et hanc quaestionem ex principiis naturalibus ditudicanti non adeo distingendum videtur, vtrum ex delicto pecuniarie agi possit, nec ne. Sed verissimum esse puto sententiam Pestelii (z) statuentis, eum, qui, quod factum est, ratum habuerit, illius facinoris confortem dici non posse: nisi haec sit efficacia eius approbationis, vt ad similia in posterum facienda det stimulum, vel vt propter eam effectus continentur, quorum cessationem accelerare, aut certe non impedire, pertinet ad officium approbatoris. Hanc regulam ad nostram controveriam de participatione lucri inhonesti applicans, principiis iuris Romani etiam conuenientem esse existimari et secundum ea statuendum:

I. Quotiescumque aliquis ratihabitione sua delictum socii continuat, toties delinquisse ipse potest dici, et coerceri poena legis ordinaria. Ea enim est omnium delictorum natura, vt laesionem iuris alieni inuoluant, et hunc esse poenarum finem contendimus, non tantum, vt laesio reparetur, sed praecipue vt ciuitas aduersus crimina futura defendatur. Si igitur per participationem lucri inhonesti laesio alteri illata non reparetur, sed continuetur, si per eam securitas et prosperitas publica turbari pergit, omnis ratio postulat, vt in eum quoque animaduertatur, qui participatione lucri istiusinhonesti reparationem laesisionis reddat difficultorem, et a cuius prauitate respublika non meliora, quam ab ipso delinquentे sperare possit.

x) Ibid. S. 1. c. 2. §. 37. in not.

y) Prax. crim. qu. 87. n. 43.

z) F. I. N. p. 2. S. 7. §. 336.

XXXVI

possit. Eademque ratio apud veteres tantum voluisse deprehendimus, vt non alio ex fonte decisiones suas hauissee videantur. Quod vt magis elucescat, prouoco primum ad decisionem Imperatorum (a): *eos, qui a fero per furtum ablata scientes suscepunt, non tantum de susceptis conuenire, sed etiam actione furti poenali potes: quae lex, et si nititur eo, quod toties fiat furtum, quoties res aliena inuito domino contrectetur, lucri faciendi animo, abunde tamen probat, eos, qui lucrum dishonestum participauerint, etiam ordinaria poena furti esse plectendos.*

2. Non minus validum est argumentum ex edicto Honorii, Theodosii et Arcadii petitum. (b) *Iudices, inquiunt, qui tempore administrationis publicae pecunias subtraxerunt, legi Iuliae peculatus obnoxii sunt, et capitali animaduersioni eos subdiciubemus: his quoque nihilominus, qui subtractas ab his scientes suscepunt eademque poena percellendis. Quae animaduersio cum sit vera de nuda rei celatione, quanto magis ad eos, qui turpe lucrum participauerunt, pertineat!*

3. Omnium autem fortissimum est argumentum in verbis Vlplani (c): *Non autem, inquit, is, qui rapuit, sed is quoque, qui recepit, ex caufis supra scriptis tenetur, quia receptores non minus delinquent, quam adgressores: quae verba manifeste docent, quanto odio Romani rerum furtuarum susceptores, adeoque eos, qui factis suis delicta ab aliis commissa continuant, fuerint persecuti.*

§. XV.

Sed ex hac, quam nunc exposuimus, regula sequitur alia quaedam: Scilicet quoties ex aliquo crimine nullum lucrum ad ratihabentem sua natura peruenire possit, et laesio, quae reipublicae vel priuato, cui delictum est factum, non continetur, toties ille, qui ratum habet factum alienum, non potest dici delinquisse. Cessat enim

a) L. 14. C. de furt. Cui iung. L. 9. C. ad L. Iul. de vi publ.

b) L. viii. C. de crim. pecul.

c) L. 3. §. 3. D. de inc. ruin. nauf.

XXXVII

enim hic fundamentum, quo obligationem ad poenam praestandam niti supra vidimus. Fac igitur: Titius homicidium perpetrat dolosum: benefactum laudat Caius: impie quidem et atrociter agit Caius, sed homicidii reus haberi nullo iure poterit, nec ex lege Cornelia puniri, qua nemo tenetur, nisi qui aut ipse occiderit, vel causam morti praebuerit. (d)

§. XVI.

Quid igitur sit dicendum de delictis pluribus concurrentibus, ex duabus his obseruationibus colligere iam est in prolini. Scilicet socium in tantum iis teneri, in quantum participatione lucri inhonesti continuet laesione et lucrum sentiat. Si v. c. Titius Caium occiderit, et dein spoliauerit, istudque lucrum scienti delictum socio contulerit, poterit Meuius non de homicidio, sed tantum de furto conueniri, quippe qui sciens res alienas suscepere.

§. XVII.

Atque ita ex principio iuris nostri sentendum videtur de illa quaestione, an et quousque ille, qui lucrum turpe participauit, ut socius delicti possit considerari.

Caeterum quia incidere possunt casus, quibus delictum non adeo continuari dici queat, et tamen impunitus maneat is, qui in honestum lucrum participauit, non patiatur animi malitia, et laesio, quae ciuitati infertur, in iis cum Boehmero statuendum puto, participationem lucri inhonesti pro admitti qualitate extra ordinem esse puniendam. Pone: socius ex confectione falsorum instrumentorum mille lucratur, cuius lucri partem agnoscit alter; non poterit is, qui tale lucrum participat, ordinaria falsi poena coerceri, quia ipse tale falsum instrumentum non conficit: sed tamen cum mali exempli res sit, eum impunitum manere, et effectus huius criminis continuenter, extraordinaria poena afficiendum eum putamus.

§. XVIII.

(d) L. i. §. i. L. 15. pr. D. ad L. Corn. de siccari. Paul. sent. L. 5. tit. 23.
§. i. Matthaeus Proleg. c. l. n. 14.

XXXVIII

§. XVIII.

De eo autem, qui, dum crimen a socio perpetratum et lucrum ex eo in rationes communes illatum iri sciebat, dubitari non potest, quin teneatur, si consilium istud haud improbauerit, et declarauerit, se non passurum, lucrum tale in societatem imputari; idque obtinebit, licet nullum ad socium lucrum inde redundauerit. Etenim dum sciuit consilium socii sui, intuitu societatis tale delictum commissuri, isto silentio et patientia ostendit, sibi istud placere et lucrum ex eo sperat. Aequum ideo est, ut cuius participuit lucrum, participet et damnum. Atque vti is, qui non prohibet pro se interueniri, mandare creditur, (e) ita etiam silentium istud socii, delictum a socio commissum iri non ignorantis, quo societatis commoda auctum iri sperat, contra ipsum est interpretandum, resque eo loco habenda, ac si aperte delinquenti fauerit, et momenta agendi suppeditauerit et confirmauerit. (f)

§. XIX.

Denique cum sciamus, socium, si a socio delictum fuerit passus, ius habere renunciandi societati, quaeritur: an idem obtineat, si hic non contra socium, sed aduersus tertium deliquerit?

Finge: Caius cum Mevio habet societatem ad decem annos: quinto anno Meuius delinquit, et eo nomine condemnatur. Quae-
ritur, an nunc Caius iure societatem dissoluere possit? Id quod dubium non habet, si talis fuerit delicti poena, quae mortem vel naturalem vel ciuilem irroget. Sed in aliis non adeo est expeditum, et indicantis arbitrio, quid societatis maxime intersit, secuti-
ri, relinquendum videtur. Aequitas enim, quae in hoc con-
tractu exuberare dicitur, vix patitur, vt dissoluatur contractus,
adeoque bis puniatur delinquens, qui forte culpa magis et impru-
dentialia, quam destinata animi malitia crimen commiserit, leuiori
poena plectendum.

Verum

e) L. 60. de R. I. L. 16. §. 2. mand. L. 18. eod.

f) Exemplum habet Leyser Med. ad Pand. Sp. 187. med. a.

XXXIX

Verum si crimen improbiore dolo fuerit commissum, si eo ostendat delinquens, se nullo honestatis sensu esse imbutum, tum certe socius tam nefario homini nullam fidem habere poterit, quam tamen ab hoc contractu abesse non posse vidimus, nulloque modo expediet, tales socium pati. (g) Si enim conuentio, ne res alienentur, non impedit venditionem ex iusta causa factam; (h) etiam conuentio, ne societate intra certum tempus abeat, non impedit, quo minus ob fonticas causas, (i) inter quas et delictum socii esse censemus, possit renunciari.

Si socius fuerit relegatus, credit Bachouius, (k) societatem constare, quia socius maneat ciuis. Recte quidem, si praesentia socii non sit necessaria ad administrandam societatem: sed si ea maxime intuitu socii, cuius opera nunc carere debet, sit inita, tum aequitatis ratio postulat, vt a se inuicem liberentur socii. Atque ne fine legis auctoritate loqui videamur, argumento eorum, quae Vlpianus (l) dicit, haec ratiocinamur. Ille enim iustum renunciandi societati causam esse dicit, si societati quis renunciauerit, qui reipublicae causa diu et inuitus absfuturus sit, quamvis nonnunquam ei obici possit, quia potuit et per alium societatem administrare vel socio committere: sed hoc non aliter, nisi valde idoneus sit socius, aut facilis absfuturo etiam per alium societatis administratio. Quae lex manifesto docet, plerumque iure societati renunciari, si nemo ex sociis absit, et aliquis ipse societati superesse non possit.

g) L. 14. pro socio.

h) L. 16. §. 1. eod.

i) L. 14. sqq. eod.

k) Comm. ad tit. I. de societ. p. 818.

l) L. 16. pr. pro socio.


X2368106

V
D
18

ULB Halle
007 678 258

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-842436-p0044-3

DFG

B.I.G.

Black



DISSE^{1796, 3}
TATIO INAVGVRALIS
DE
OBLIGATIONE SOCII INNOCENTIS
IN DELICTIS
³
^{868/1}

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
DIE XII APRILIS MDCCCLXXXVI
PROTOSVIT
IOANNES HENRICVS HÜBOTTER
HILDESIENSIS.

HELMSTADII
TYPIS C. G. FLECKEISEN ACAD. TYPOGR.

